

Iuuentus adsuesceret ueri & honesti radicibus niti, Necq; antea properaret ad gloriam & status excellentiam, quam annos consumpsisset aliquot in Philosophiæ partium inquisitione, quod est in operum Dei & naturæ contemplatione, ubi sanè Astronomicen repudiatam esse minimè oportet. Reputet secum aliquis paulo attentius, An non res ipsa exigat præcludere ac Tyrocinium facere prius in disciplinis, quæ uim & amplitudinem uirtutis ostendunt, mentem formant, adeoq; bonam inserunt, quam rari statim post Grammatices elementa ad fastigia. Excultus Philosophia animus, modestus, non pertinax est, in officijs humanis probas ubiq; & æquas cernit sectaturq; rationes, ad initia rerum penetrat, causasq; alias ex alijs ducit. Exosam habet Sophisticen, Disputationes intra methodi limitem omnes coercescit, Inq; rem adeo ipsam penitissime intuens, ueritatem reeta & infallibili uia quærit, quam & proprie appositeq; explicat. Contrà, Alius ingenuarum artium præsidio destitutus, quid obsecro in eruendo uero, si quid incidit controuersum potest? Primum, quoniam rationali methodo gubernare se nescit, crasse & confuse iudicat, necessarias in natura positas rationes non uidet, Errat temerè, apte nihil colligit, separata miscet, distrahit quæ coniungi postulant, specie recti facile decipitur. Cumq; freno illo etiam, quod procacibus ingenijs Philosophia iniicit, careat, rixatur morose & acerbe, multum profundens uerborum, amplificat quod amat, & quod odit extreme abijcit, sententias aliquoties etiã palam absurdas de industria tuetur, præbetq; motuum & factionum occasiones. Quam in studijs peruersitatem, utinam hi quoq; tollendam curarent, ut in pace Religio, Honestas & Literæ conseruentur, nouas ex autoritate nobis institutiones pollicentur. Nocentissima profecto pestis hæc est, quæ ferè tamen subnascitur ex sola illa præcipitantia, qua in Academijs Iuuenes priusquam magnitudinem Philosophiæ conspexerint, iustumq; adeo inde robur collegerint, in primarias disciplinas, planè ut in rosas porci irruere permittuntur.

Miretur